



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

2. Prima conclusio contra Durandum de vnione Verbi cum sanguine
Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

proximè inter Verbum, & sanguinem, quando erat in corpore, cum probet ex Damasceno, non fuisse in illa humanitate aliquid suppositum proprio supposito; si enim sanguis non fuisset hypostatice vnitus Verbo, retinisset proculdubio proprium suppositum, quo terminaretur.

Nec obitat, quod dicat, Verbum non principaliter assumpsisse, sed consumpsisse sanguinem; nam hunc loquendi modum iam latè explicuerat in superioribus, dicens, ea principaliter assumpta fuisse, quæ secundum intentionem Dei primariò intendebantur, qualis erat natura humana: illa verò, quæ ad hunc finem ordinabantur, dicit assumpta secundariò, seu coassumpta; in quorum numero ponit partes corporis Christi, imò ipsum corpus, & animam, quia hæc etiam assumpta dicit esse propter humanitatem completam, & in hoc etiam sensu dicit, sanguinem non fuisse assumptum, sed coassumptum, quia secundum se non intendebatur, sed propter naturam humanam; nec sanguis secundum se poterat personari, quia persona non est, nisi quæ constat natura intellectuali: vnde nec corpus ipsum, quod secundum se non potest personari, dicitur assumptum; sed coassumptum. Itaque non video, quo fundamento Cardinalis ille possit pro ea sententia adduci, quæ negat vnionem sanguini existenti in corpore Christi.

Quarta ergo sententia docet, sanguinem fuisse quidem vnitum Verbo hypostatice proximè, & immediatè, quando erat intra corpus; fuisse tamè à Verbo separatum, statim ac exiuit à corpore, atque idè triduo illo ante resurrectionem caruisse vnione hypostatice. Hanc docuit Franciscus de Maioribus in 4. d. 4. q. 1. Et idè habet in aliquibus ex suis sermonibus, teste Cardinali S. Petri supra adducto, scilicet in vno, qui incipit, *Memoriam fecit*, & in alio, qui incipit, *Domine probasti me*, & in alio, qui incipit, *Nolite timere*. Richardus etiam in 3. d. a. 2. q. 1. ad 2. arg. Eandem in publica concione docuit Concionator quidam Barcinone, vt refert Syluester in *Rosa aurea*, tract. 3. q. 31. Denique eandem tenet Abulensis supra citatus, & Cardinalis S. Petri proximè citatus, qui alios plures conatur pro illa adducere, sed absque fundamento. Afferit etiam censuram Scholæ Parisiensis, quam dixit approbasse hanc sententiam, & condemnasse appositam; sed de hac censura nullo modo constat, nec ipse cam probataliter, quam ex fama communi.

Quinta sententia distinguit duplicem sanguinem alterum nutrimentalem, alterum vitalem. Nutrimentalem appellant sanguinem quendam ex cibo, & potu factum, nec adhuc perfectum, & benè coctum, sed impurum, & vitæ expertem, qui animalis non est pars: nec pertinet ad veritatem naturæ: & hunc dicunt, nec in corpore, nec extra corpus fuisse à Verbo diuino hypostatice assumptum. Vitalem verò sanguinem dicit, sanguinem perfectum, anima informatum, qui pars est animalis, & hunc dicunt vnitum fuisse Verbo diuino. Hæc est sententia Caietani infra q. 54. art. 2. in responsione ad 3. in fine illius quæst. Pro hac sententia assertur etiam Siluester ubi supra q. illa 31. Sed hic partim conuenit cum Caietano, partim differt. Assignat quidem ille duplicem etiam sanguinem, alterum Verbo vnitum alterum non vnitum: non tamen concedit diuersitatem substantialem inter illos, sed solum accidentem.

Card. de Lugo de virtute Fidei Diuina.

talem, vt constat ex illa q. 31. & ex q. 30. quæstione 4. vbi nec vnum ab altero discernit per vitalem formam, imò tanquam problema relinquat sanguis animeretur, vel non: cum tamen Caietanus alteri vitam tribuat, alteri neget.

Sexta sententia tribui potest Gregorio de Valentia in præsentia dist. 1. q. 5. puncto 1. ad tertium argumentum, qui ita docet, omnem sanguinem vnitum Verbo, vt etiam nunc illæ particulæ sanguinis, quæ in spinis, sudario, & alibi apparent, retineant vnionem cum diuina hypostasi, atque adèd debeant adorari cultu latræ.

Septima sententia docet, sanguinem in triduo etiam mortis Christi fuisse Verbo hypostatice vnitum, non tamen totum omnino sanguinem, sed illum solum, qui à Christo resurgente reassumendus erat illas verò partes sanguinis, quæ non erant reassumendæ, sed in terris relinquendæ, statim post effusionem separatas etiam fuisse à Persona Verbi diuini. Hanc sequitur Franciscus Collius supra citatus lib. 5. c. 5. Quam tribuit Maioribus in 3. dist. 37. q. 25. Sed hic auctor loquitur solum de sanguine nutrimentali, de quo dicit posse dici quoddam in instanti mortis fuerit dimissus à Verbo, quia non erat reassumendus, vel certè retentum fuisse à Verbo vsque ad instantem resurrectionis, & tunc dimissum, cui parti magis adhereret. Hæc sunt placita Doctorum in hoc puncto: nunc iam nostram sententiam explicemus.

SECTIO II.

Prima conclusio contra Durandum de vnione Verbi cum sanguine Christi.

Contra sententiâ sectione præcedenti adductas statuemus etiam aliquot conclusiones. Prima sit contra Durandum, Verbum diuinum proximè, & immediatè assumpsit sanguinem sicut assumpsit carnem. Hæc est communis iam omnium Theologorum, quos afferunt, & sequuntur Suarez, & Valquez in præsentia, nec est, qui contrarium iam doceat, licet de censura oppositæ sententiæ sit controuersia. Videatur S. Thomas. *lectione 4. in c. 2. ad Hebr. & quolibeto 5. q. 2. art. 5. in corpore, & in præsentia q. 5. Ioannes Maior in 3. dist. 37. q. 25. Albertus Magnus tractatu de sacrificio Missæ, Capreolus in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. in responsione ad 5. contra primam conclusionem. Nicolaus de Lyra. in c. 9. ad Hebr. in illa verba, quanto magis sanguis Christi, &c. & alij communiter.*

Probant hoc multi ex illis testimoniis, quibus redemptio nostra tribuitur sanguini Christi, qui dicitur emundare, dealbare, sanctificare nos, &c. Sed, vt notat Valquez cum aliis hæc testimonia non multum vrgent; quia ad hanc efficaciam satis esset vnio humanitatis effundentis, & offerentis sanguinem cum Verbo diuino; iam enim illa actio haberet valorem infinitum; vnde eodem modo tribueretur redemptio nostra sudori, lachrymis, elemosynæ Christi, licet hæc non essent vnita hypostatice Verbo. Sicut è contra parum iuvat vnio sola sanguinis oblati cum Verbo ad valorem infinitum, nisi adsit vnio naturæ offerentis; neque enim oblatio sanguinis Christi à Sacerdote facta in Missa habet valorem infinitum, iuxta veriorem sententiam; nec oblatio, quia B. Virgo suum Filium in templo obtulit, habuit valorem infinitum, aut sufficientem ad redemptionem

V nem

nem nostram, licet res oblata esset valoris infiniti: quæ scilicet valor moralis debet attendi ex dignitate offerentis, & meritis, qui cum esset Christus patiens, effusio sanguinis haberet infinitum valorem, licet sanguis non esset vnitus Verbo.

9

Melius probatur primò ex verbis Clementis VI. in extranaganti unigenitus, de penitentis, & remissionibus, vbi de sanguine Christi sic ait: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse. Vbi verba illa, propter vnionem ad Verbum, non possunt referri ad vnionem humanitatis (vt aliqui explicant) cum Verbo, cum non sit sermo de humanitate, sed de sanguine, quare debent intelligi de vnione sanguinis cū Verbo: alioquin sensus esset deterior, diceret enim, Christus immolatus non solam guttam sanguinis effudit in cruce, quæ tamen sola sufficeret propter vnionem ipsius Christi cum Verbo. Qui sensus non est admittendus, neque enim Christus dicitur vnitus cum Verbo, sed natura humana Christi.

Probatur primò ex verbis Clementis VI.

Effusum.

Dices, neque illum alium sensum esse bonum: cum fundet valorem sanguinis Christi in vnione ipsius sanguinis cum Verbo, contra id, quod proximè probauimus valorem debere desumi non ex sanguinis, sed ex offerentis, & effundentis dignitate.

Eundem.

Respondetur, in hac materia probari bene valorem ex vnione ipsius sanguinis; agitur enim de valore non cuiuscunque oblationis, sed effusionis: certum autem est, si sanguis, qui effunditur, habet vnionem cum Verbo, similem vnionem esse inter Verbum, & naturam humanam; quæ illum sanguinem effudit, atque ad eum sanguinem illum effusum esse infiniti valoris, quia sanguis effusus includit effusionem, cuius valor arguitur, ex eo quod sanguis ille sit Verbo diuino vnitus.

10

Secundò possunt adduci ad hoc ipsum loquutiones Patrum, & Conciliorum; quibus dicitur, Verbum assumptum esse sanguinem. Sic loquitur Cyrillus Alex. ep. 8. ad Nestorium, vbi, Verbum (inquit) factum esse carnem, nihil est aliud, quam quod in carne, & sanguine nobis communicauit, ac nostrum corpus sibi proprium effecit, quæ interpretatio, & Epistola recitata, & approbata est in Conc. Ephesino tom. 1. c. 12. & in Chalced. act. 1. post med. Habetur etiam eadem interpretatio in Epistola Concil. Alex. quæ est 10. apud Cyrillum approbata in Concil. Ephesino, & Chalcedonensi.

Cyrill.

Conc. Alex.

Eodem modo loquitur idem Cyrillus in libro posteriori, de vestra fide ad Reginam, in capite, Quod vita, & viuificus Christus, & lib. de Incarnatione unigeniti, c. 11. circa fin. Clarius loquitur idem Cyrillus homilia habita in Concilio Ephesino, quæ est 5. in ordine, & habetur in 4. tomo suorum operum, his verbis: licet enim Verbum Dei, cum Deus sit, carnem assumpserit, ac sanguinem; & epist. 29. ad Acacium Melitensem, post medium, Deum hominem esse factum propter carnis, & sanguinis assumptionem; & in Apologetico p. 12. Anathematismis in defensione decimi, circa fin. Confitemur (inquit) quod Deus est in carne, & sanguine.

Nazianz.

Quo etiam modo loquitur Nazianz. in breui tractatu de fide Nicæna, quæ est ratio 50. & refertur in actiū Liberij c. 5. in primo tomo Conciliorum, vbi dicit, Deum hominem natum non phantasticum, sed carneum, ossa, sanguinem, sensum, & animam

habentem, & in Synodo VI. act. 8. longè ante medium actionis in confessione Macharij Archiepiscopi Antiochiæ, sic dicitur. Sicut factum est in assumptione carnis, & sanguinis, ita quoque mansit, quod erat Deus. Quæ cōfessio ea ex parte non fuit reprobata, licet reiecta fuerit, quatenus in Christo ponebat vnā tām voluntatem, & operationē. Acceperunt autem omnes hunc loquendi modum ex Paulo ad Hebr. 2. in illis verbis, quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Nam quod Apostolus dixit participare, Patres explicauerunt assumere; nam carni, & corpori nullo alio modo participauit, nisi assumendo carnem, & corpus, vt constat.

Dicit aliquis, hæc omnia probare quidem sanguinem aliquo modo assumptum à Verbo, non tamen, quod fuerit assumptus ad vnionem immediatam, sed quantum sufficit, vt dicatur sanguis Christi, & Verbi diuini, ad quod sufficit vnio mediata, assumendo naturam, cuius erat ille sanguis. Sic enim dicitur etiam Verbum assumptum esse operationes, & accidentia humana, non quia hypostasis Verbi immediatè vnitur illis, sed quia vnitur naturæ humanæ cuius sunt operationes vel accidentia.

Sed contra, quia accidentia non possunt alio modo assumi, nisi mediatè, atque ideo quando dicuntur simpliciter assumpta, intelligi debet eo modo, quo possunt. At verò quando substantia aliqua dicitur hypostaticè assumpta, debet intelligi de assumptione, cuius capax est natura substantialis. Alioquin cibis, & vestis dicerentur assumi, eo quod sunt in illa natura, quæ assumitur, quod tamen nemo concedet, Verbum assumptum esse simpliciter cibis, qui erat in stomacho Christi, vel vestis quibus cooperiebatur. Ratio autem videtur esse, quia non potest dici assumi hypostaticè ab alio id, quod retinet adhuc suam propriam subsistentiam, & hypostasim; nam ex terminis repugnat, vel essentialiter, vel saltem ex natura rei, quod aliquid subsistens in se subsistat in alio: nec substantia Verbi facit aliquid subsistere, nisi loco alterius substantiæ creatæ quam suppleat. Si ergo sanguis retinet suam propriam subsistentiam, per quam immediatè terminatur, non potest dici, quod subsistat substantia Verbi, vel quod assumatur hypostaticè à Verbo. Accidentia autem Christi dicuntur assumi à Verbo, licet non vniantur ipsi immediatè, quia accidentia non retinent propriam subsistentiam, sed perdunt eam subsistentiam creatam, quam deberent habere, scilicet substantiam creatam humanitatis, per quam suo modo deberent subsistere, atque ideo Verbum supplet totum, quod substantia creatæ deberet tribuere iis accidentibus.

Tertiò principaliter probari potest conclusio ratione, & quidem aliqui probant ex eo, quod sanguis informetur eadem anima rationali in homine, & viuat. Hæc tamen ratio supponit principium Philosophicum incertum, & fortasse minus verum. Alij probant ex singulari priuilegio incorruptionis, quod habuit sanguis Christi, cuius ratio alia reddi non potest, nisi vnio sanguinis cum Verbo, & indicari videtur ab Apostolo Petro c. 1. Epist. 1. in illis verbis, Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sanguine agni immaculati redemptionis, essis; vbi corruptibilibus rebus opponitur sanguis pretiosus Christi. Hæc tamen ratio parum habet momenti; quia incorruptibili-

tas potuit sufficienter provenire illi sanguini ex
vitione mediata, quā habuerat cum Verbo: sicut
& caro, & sanguis B. Virginis nō vidit corruptio-
nem propter cōnexionem magis remotam, quam
natura illa habuerat cum Christo, quem genuit,
quāto magis deberetur incorruptio sanguini
ipsius Christi, licet vñio immediata abesset.

13
Melius ergo probatur ex eo, quod sanguis est
pars humanitatis assumptæ à Verbo: qui autem
assumit naturam, assumit omnes eius partes, cum
totum nihil sit aliud, quā partes omnes simul
sumptæ; ergo verbum assumens immediatē, &
verē naturam humanam debuit assumere imme-
diatē sanguinem, qui est pars naturæ humanæ;
non enim assumpsit naturam humanam inadæ-
quatē, sed totam adæquatē, iuxta illud Damasceni
lib. 3. fidei orthodoxæ c. 6. *Omni humana na-
tura vñtam dicimus omnem divinitatis substan-
tiam; & postea totum enim me totum assumpsit, &
totum totum vñit est.*

Restat probanda illa maior, quod scilicet san-
guis sit pars humanæ naturæ. Quod quidē primò
probari potest ex Aristotele lib. 3. de historia ani-
malium c. 2. ubi agens de partibus animalium si-
milibus, primo loco proponit sanguinem; idem
repetit lib. 2. de partibus c. 2. & lib. 7. Physicorum
textu 1. & 12. aliquas dicit partes esse anima-
lium animæ ex partes; quem modum loquendi
obseruaverunt Philosophi alij, & Medici, quos af-
fert Suarez, in præfati scilicet 6. in 3. conclusionē, &
Damascenus lib. 2. de fide c. 12. in medio, & in
lib. 2. sententiarum: ubi ait animalium corpora ex
quatuor humoribus consistere, & in illos resolui.

14
Probari potest secundò eadem maior efficaci-
ter ex doctrina Trid. sess. 13. c. 3. ubi definitur in
Sacramento Euchar. esse quidem corpus sub spe-
cie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque
sub utraque vi naturalis illius connexionis, & con-
comitante, quæ partes Christi Domini, quæ iam ex
mortui resurrexit, non amplius moriturus inter se
copulantur. In quibus verbis aperte dicitur san-
guis pars Christi Domini, imò ex eo quod sit pars,
probat, quod debeat poni nunc in Eucharistia
sub specie panis per concomitantiam propter
coniunctionem naturalem, quam partes habent
inter se, ratione cuius ubi est vna pars, nempe
corpus, debet esse altera, nempe sanguis: sicut è
contra propter eandem rationem definitur cor-
pus esse sub speciebus vini, quia ubi est sanguis,
debet esse altera compars, nempe corpus: non
potest ergo dubitari, quod sanguis sit pars huma-
nitatis; si enim est pars Christi, & non est pars
subsistentiæ, aut naturæ diuinæ, vt constat, debet
esse pars naturæ humanæ, quia Christus includit
solum suppositum diuinū, & vtramque naturam
diuinam, & humanam. Si ergo sanguis est verē
pars Christi & humanæ naturæ, oportet illū sub-
sistere per hypostasim Verbi, omnia enim, quæ
subsistunt in Christo, subsistunt per hypostasim
Verbi & nullo modo per subsistentiam creatam.

15
Tertiò probari potest eadem maior ex eo, quod
Christus sit verē, & propriè filius B. Virginis nam
ad rationem filiationis requiritur origo viuētis
à viuente, principio coniuncto, hoc est, ita vt sub-
stantia generantis maneat in genito: hinc enim
est, semen in planta esse proculdubio partem po-
mi, atque ideo arboris; Vnde si Verbum assume-
ret hypostatice naturam arboris, vel pomi, sicut
assumpsit naturam humanam, assumpsisset etiam
Card. de Lugo de Incarnat.

semen existens intra pomum non minus, quā
corticem, medullam, & reliqua; idem ergo dicen-
dum videtur de semine humano, quod eodem
modo se habet ad hominem, sicut semen pomi ad
pomum, & semen tritici ad triticum. Cum igitur
Christus ex sanguine purissimo B. Virginis car-
nem assumpsit, fatendum erit, sanguinem illum
partem fuisse intrinsecam suæ Matris, siquidem
ratione illius Christus dicitur verus filius suæ Ma-
tris, & filius etiam David, atque de eius semine:
præsertim cum semen ipsum non sit aliud quā
sanguis magis digestus, qui propter maiorem di-
gestionem alium colorem accepit. Alioquin si san-
guis nō esset pars humanæ naturæ, nō esset Chri-
stus genitus à sua matre, tanquam ex principio
coniuncto, sed extrinseco, sicut generantur ver-
mes, vel alia viuētia ex corporibus humanis.

16
Quartò probari potest eadem maior, quia si
sanguis non esset pars corporis humani, non ap-
paret, cur in Christo resurgente, & in aliis corpo-
ribus beatis debuerit, & debeat resurgere etiam
sanguis vñā cum carne beata. Si enim sanguis sit
solum ad nutriendas partes corporis, non deberet
ad eum finem poni in corpore beato, in nutritio-
nis opus omnino cessat; quare sicut cibus non
ponitur in stomacho Beati, licet cibus & chilus
requiratur ad alimentum sanguinis, sic nec debe-
ret poni sanguis, licet sit alimentum carnis. Ne-
que etiam poni debet ad replendas venas, sicut
nec ponitur in intestinis corporis Beati ad ea re-
plēda aliud corpus, quo in hac vita mortali reple-
bantur. Nec denique debet poni, eo quod sanguis
necessarius sit ad fouendas alias partes; nam aer
etiam necessarius est in hac vita ad refrigerādum
cor, ad quod assidua respiratione trahitur; & ta-
men in celo non est ponendus aer ad eum effe-
ctum in corporibus beatis, quippe quæ propter
impassibilitatem non patiuntur ab extrinseco
agente contrario, neque indigebunt his fomen-
tis aut refrigeratiuis. Si ergo ponitur, & reparatur
sanguis in corpore beato, sicut de facto reddi-
tus fuit Christi corpori, ideo est, quia pertinet
ad naturæ integritatem, multò magis, quā pili,
barba, & alia eiusmodi, quæ tamen in corpore
resurgente restituantur.

17
Aduersus hanc conclusionem obiicitur primò
Arist. 2. de partibus animalium, cap. 10. ubi dicit
sanguinem non esse partem animalium; ergo
Verbum assumens solam naturam hominis, hoc
est animalis rationalis, non debuit assumere im-
mediatē sanguinem.

Respondetur de mente Aristotelis satis con-
stare, qui locis supra adductis sepe dixit, sanguinē
esse partem animalis; imò in eodem libro secūdo
nunc adducto, c. 2. in principio, sanguinē numerat
inter partes similes humidas, postea verò c. 10.
cū dicit, sanguinem nō esse partem animalium,
debet intelligi in sensu formali, scilicet non esse
partem viuētis, prout viuens est, cū ipse san-
guis non sit animatus. Cum hoc tamen constat,
ipsum esse partē animalis completē sumpti, prout
comprehendit partes viuētes, & non viuētes;
nam sicut ex variis mēbris fit animal intellectuā-
le; licet non in omnibus membris intelligat, (pes
quippe non intelligit) sic ex parte non viuēte, &
aliis partibus viuētibz fit vnum compositum
viuens; licet non in singulis partibus viuāt. Adde,
dū Aristoteles dicit, sanguinem non esse par-
tem animalium posse intelligi li animalium adie-
ctiue,

16
Probatio
quarta.

17
Prima ob-
iectio contra cō-
clusionem ex
Aristotele.

Soluitur.

ctiue, hoc est, non esse ex partibus animalibus, seu animatis. nam vox Latina indifferens est ad utrumque sensum, & vox etiam Græca τὸν ἕδον aliquando fumitur adiectiue non solum apud Poetas, sed etiam apud historicos.

Secundò obicitur, S. Thom. in fr. q. 31. a. 5. & quodlib. 5. dicens, dari sanguinem nutritiualementem, qui non est pars actualis naturæ, sed in potetia, seu in via, prout etiam loquitur 1. p. q. 119. a. 1. ad 3.

Respondetur S. Thom. in aliis multis locis appellare sanguinem nomine partis. Sic enim loquitur in fr. q. 54. a. 2. ad 3. & in 4. sent. d. 44. q. 1. a. 2. quæstionum. 3. Possunt autem hæc loco in concordiam adduci ex doctrina eiusdem S. Thom. in illa quæstione. 3. ad 3. ubi exemplo elementorum, quæ simul sunt partes huius vniuersi, & sunt in potetia ad corpora mixta declarat, quomodo sanguis, & alij humores simul sint partes animalis, & in potetia, seu in via ad formam perfectam membrorum. Sic enim ait. Ad tertium dicendum, quod sicut sunt elementa in via generationis respectu corporum mixtorum, qui sunt eorum materia, non autem ita, quod semper sint in transendo in corpore mixto; ita etiam humores se habent ad membra, & propter hoc sicut elementa in partibus vniuersi habent formas determinatas, ratione quarum sunt de perfectione vniuersi, sicut corpora mixta; ita & humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & alia partes, nec elementa habent ita perfectas formas, sicut mixta. Hæc S. Thom. qui iuxta hunc sensum aliquando negat, sanguinem esse partem actus, scilicet membrorum, & corporis secundum partes perfectas, quæ habent formam stabilem & vltimè intentam in ordine ad perfectionem speciei. Sic enim illa q. 31. a. 5. dixit, sanguinem B. Virginis, ex quo caro Christi formata est, non fuisse actum partem, scilicet carnis, & corporis Virginis, de quo loquebatur, & in ordine ad quod sanguis erat solum pars in potetia, atque adeo potuit accipi sine diminutione corporis Virginis, quod fieri non posset de aliis partibus perfectis, quæ semel perditæ restaurari non possunt, ut dixerat illa q. 119. a. 1. ubi ideo dicit, sanguinem nondum peruenisse ad suscipiendam naturam speciei, scilicet ad formam vltimam, & stabilem, ad quam adhuc est in via, & in potetia. Denique in eodem sensu in illo quodlib. 5. ubi supra, dicit, non totum sanguinem esse de veritate naturæ, sed aliquem, quia scilicet non totus requiritur ut homo sit integer, & completus, sicut requiritur pes, vel manus, atque adeo non totus sanguis requiritur ad veritatem naturæ in resurrectione hominis.

Tertio obicitur, quia Verbum assumpsit vnam solam naturam humanam vnius speciei: sanguis autem non est eiusdem speciei cum aliis partibus hominis, quæ cum sint animatæ, & viuentes, differunt genere à non viuente, quale est sanguis.

Respondetur, Verbum assumpsisse vnam naturam non simplicem, & partialem, sed totalem, & compositam ex pluribus partialibus, in quibus non est inconueniens reperiri aliquam partem, quæ non sit viuens, & quæ differat specie partiali, vel etiã genere ab aliis partibus. nam ex earum partium diuersitate potest resultare vnum compositum in specie atoma completa, sicut ex materia etiam, & forma genere diuersis resultat vnum compositum physicum in specie infima completa.

Quarto obicitur, quia substantia Verbi supplet solum in Christo pro substantia humana,

hæc autem in nobis non terminat sanguinem, & alios humores; quippe qui subsistunt per aliam propriam substantiam, quæ non est personalitas, nec humana; ergo nec in Christo sanguis subsistit per substantiam Verbi.

Respondetur similiter, substantiam humanam in nobis non esse simplicem, sed compositam ex substantiis, quæ subsistit compositum ex materia, & anima rationali, & ex altera substantia partiali, quæ subsistit compositum ex materia, & forma sanguinis; quæ utraque substantia conflatur substantiam humanam integram, loco cuius subrogatur in Christo substantia Verbi. dicitur autem substantia humana personalitas, non quidem per ordinem ad singulas partes, sed in ordine ad totam naturam humanam completam, quæ sicut dicitur natura intellectualis, licet non sint intellectuales singulæ partes illius naturæ. nam materia prima non est intellectualis, nec sanguis est intellectualis, sic tota substantia dicitur personalitas, id est, substantia naturæ intellectualis, licet non sint personalitas singulæ partes illius substantiæ, sed pars personalitatis, sicut reuera substantia sanguinis non est personalitas, sed pars personalitatis. Verbum autem supplet pro personalitate creata, & pro singulis eius partibus, licet hæc non sint personalitates.

Quinto obicitur, quia si Verbum assumpsit immediate sanguinem, assumpsit etiam immediate phlegma, & alios humores, ex quo fit, quod dum Christus Dominus expuebat in terram phlegma, expuebat aliquid coniunctum hypostaticè Verbo diuino, quod videtur omnino absurdum.

Respondetur, concessa prima sequela, negando secundam, quia phlegma illud (si quando expuebatur) non erat verus humor corporis humani constitutius, sed excrementum quoddam ex humoribus generatum. Quod si velis verum phlegma potuisse aliquando expui, de illo dicendum erit, sicut de gutta aliqua sanguinis, quæ ex naribus potuisset aliquando fluere, vel de particula carnis, quæ aliquo casu potuisset à Christi corpore separari; quæ omnia, si in vite discursu separentur, videntur eo ipso vniionem hypostaticam amissura, cum iam non essent, nec futura amplius essent partes illius humanitatis.

Sextò obicit Cardinalis S. Petri in suo tract. ex Laetan. in lib. de hominis opificio, ubi ait sanguinem se habere ad animam, sicut oleum ad lumen, cuius est pabulum; sed oleum nullo modo est actus pars luminis; igitur nec sanguis est pars corporis animati.

Respondetur, Lactantiū asserere illud exemplum olei ad probandum solum, quod sanguis non sit ipsa anima, nec vita formalis corporis viuents, prout aliqui volebant, sicut oleum non est ipsum lumen, sed pabulum luminis: cæterum sicut oleum, licet non sit pars luminis, est pars lapidis ardentis, sic sanguis, licet non sit vita formalis, sed papulum, & alimentum proximum illius, est tamen pars illius fabricæ, seu lampadis completæ sumptæ, in qua accenditur, & ardet lumen vitale animæ viuents.

Dices, si sanguis est alimentum vltimū, ergo non est eiusdem naturæ cum alito, quia iuxta philosophos alimentum debet esse diuersum ab alito, ut sequatur actio.

Respondetur, concedendo, sanguinem non esse eiusdem naturæ cum membris, quæ ipso sanguine aluntur, differt enim specie partiali ab illis, imò & genere, ut diximus; cum hoc tamē stat, ex sanguine, & ex membris posse constari vnam naturam integram constantem ex illis naturis inter se diuersis.

Septimò

18
Obiectio secunda ex S. Thoma.
Diluitur.

19
Obiectio tertia.
Diluitur.

20
Obiectio quarta.

Diluitur.

21
Obiectio quinta.

Expeditur.

22
Obiectio sexta.
Laetan.

Emerit.

Eius.

Præcludit.

Septimò obicit idē Cardinalis, quia sanguis nec est pars essentialis hominis, nec etiam integralis; ergo non est pars. Antecedēs probat, quia partes integrales omnes sunt animatæ, partes verò essentialis sunt illæ, sine quibus homo nō potest consistere pro aliquo instanti, vel paruo tēpore, vt cor, caput, &c. sanguis autem non est eiusmodi. nam infans, cum primū animatur, nullum habet sanguinem, quia sanguis fit medio hepate: hepar autem non generat sanguinem, nisi apponatur illi ab extrinseco aliqua materia; ergo pro aliquo tēpore existet homo animatus absque sanguine.

Respondetur, sanguinem esse verē partem essentialē, quia licet absque illo possit homo aliquo instanti, aut breuissimo tempore viuere, illud tamen est adeo breue, vt pro nihilo reputetur. nam etiam caput abscissum à corpore viuit absq; corde breuissimo aliquo tempore, & tamen cordicitur pars essentialis: infans autem simul ac viuit, incipit acquirere sanguinem aliquem, qui licet modicissimus sit, sufficit tamen ad illud tenuissimum corpusculum fouendum.

Octauò obicit potest, quia sanguis est humor liquidus atque adeo non potest habere vnionem continuationis cum iecore, & aliis partibus solidis corporis humani: vbi autem non intercedit vnio, non sunt partes, sed duo entia completa, & totalia, ex quibus non resultat vnum ens per se, sed vnum ens per accidens.

Respondetur nō esse sanguinem partem, ita vt per veram vnionem physicā superadditā vnatur cum aliis partibus ad componendum vnum ens per illam rigorosam vnitatē Mathematicam, esse tamen partē physicā, quatenus cum aliis partibus coniungitur ad componendum vnum totum physicum, cuius omnes partes subordinantur eidem animæ in ordine ad operationes naturæ humanæ; quod sufficit, vt sit pars, & entitas partialis, atque adeo, vt posito corpore sub speciebus panis in Eucharistia debeat poni sanguis per concomitantiam, & e contra posito sanguine sub speciebus vini, debeat poni corpus per cōcomitantiam propter naturalem connexionem, quam partes habent inter se, vt dixit Tridentinū. Nam sicut anima ponitur simul cum corpore propter vnionē physicā, quæ intercedit, eo quod vnio omnis sit vinculum alligans extrema, & trahens vnum cum alio, quārum fieri potest, sic sanguis alligatur ad corpus, & e contra propter vnionē minus rigorosam, sed talē, quæ sufficit ad trahendum vnum extremū ad locum, vbi est aliud: quia sicut anima ratione vnionis modalis interuenientis exigit intimā præsentiā cum corpore, vbi cūque illud sit, & e contra; sic sanguis, v. g. ex natura sua petit cōiunctionem etiā localem cum carne propter ordinē intrinsecū, quæ habet ad cōponendum simul cum carne integrū hominē. In quo differt multū hæc coniunctio carnis cum sanguine à cōiunctione vnus lapidis cum alio quando fit accruus lapidū. nam ibi vnus lapis nō petit, nec ordinatur ex natura sua ad illā coniunctionem, & ideo dicitur coniungi omnino per accidens, & cōponere vnū ens per accidens: at verò caro ex natura sua ordinatur ad hoc, & exigit nō esse sine sanguine, & sanguis exigit nō esse sine carne, & ideo hæc coniunctio non est per accidens, sed per se, scilicet orta ab exigentia vtriusque extremi, ex quo etiam fit, vt coniunctio prior vnus lapidis cum alio non sufficiat ad hoc, vt replicato vno ex illis lapidibus diuinitus in alio loco, ponatur etiam alius lapis, cum quo hic coniū-

Card. de Lugo de Incarnat.

gitur: coniunctio verò posterior carnis cum sanguine sufficiat ad hoc, vt cōstat in Eucharistia; eo quod coniungantur vt partes eiusdem compositi humani exigentes sese inuicem propter incōplementum intrinsecum, quod singulæ habent.

Dices, quid ergo deest, vt dicamus intercedere veram vnionem rigorosam inter carnem, & sanguinē? Si enim vnio vera est, quæ ita cōiungit, & cōnectit duo extrema, vt vnū secum ferat alterū, & hæc quidem coniunctio datur inter carnem, & sanguinem, ergo verē, & rigorosē vniuntur.

Respondet illā coniunctionem deficere à proprietate rigorosæ vnionis in duobus. Primū est, quod vera vnio coniungit vnū extremū alteri determinato, & non in cōsulto: quod etiā apparet in vnione cōtinuatiua, quæ non cōiungit hæc partē alteri in cōsulto, sed huic determinatē, quæ post ipsā immediatē sequitur. At verò sūguis ex natura sua nō cōiungitur huic parti determinatē carnis cū enim fluidus sit, & nunc tangat hanc partē carnis, nūc illam; nō petit magis coniungi immediatē huic, quā illi, sed solū esse intra corpus; imò nec petit determinatē esse intra hoc corpus, & e nā supposita sententiā probabili, quod effectus nō exigat per suā indiuiduationē hanc causā magis, quā illā, non apparet, cur hic sanguis, qui est in Petro nō potuisset esse idem in Paulo, & componere cū eius carne naturam humanam integram.

Hinc autem sequitur secundum discrimen, per quod hæc cōiunctio differt à rigorosa vnione, quia vnio propria, & rigorosa talis est, vt non possit, esse, quin extrema sint actu vnita. At verò coniunctio, quam caro, & sanguis habet inter se, si consideremus totam entitatem extremorum, non est talis; quia posset saltem diuinitus conseruare corpus viuū absq; sanguine, & sanguis etiam separatus in alio loco, & tunc non dicerentur componere simul humanitatem licet haberent illum ordinem intrinsecū, & exigentiā mutuam alterius compartis; ergo tota illa ordinatio, & exigentia intrinseca nō est vnio in actu secundo, sed solum quasi in actu primo, exigens aliam coniunctionē actualē, ratione cuius dicantur cōponere in actu secundo, quæ coniunctio actualis addit approximationem localem, qua sanguis est intra venas, & ideo dicitur cōponere hanc humanitatē. Vnde vltcrius colliges, hanc vnionem carnis cum sanguine, in rigore loquēdo, includere aliquid accidentale, scilicet ipsam indistantiam, seu approximationem localem vtriusque extremi, sine qua non dicitur actu componi aliquod totum ex vtraque partē. Quare licet vnio inter materiam, & formā, & vnio etiam continuatiua inter partes substantiæ, debeat esse modus aliquis substantialis, quia totum, quod resultat, est aliquod ens per se, omnino, & adæquatē substantiale: coniunctio tamen inter carnem, & sanguinem non debet esse omnino substantialis, sed includit aliquid accidentale; quia totum, quod ex vtraque parte resultat, licet sit ens per se physicē, & latius loquendo; nō est tamen vnum ens per se metaphysicē, & adæquatē ponibile in prædicamento substantiæ: quando enim dicimus hominem constitui in prædicamento substantiæ intelligitur de homine, prout est compositū ex materia prima, & anima rationali, prout consideratur à logicis, prout sic autem nullum prorsus includit accidentis: at verò homo inter, prout consideratur à Physico, & prout constat ex carne, & sanguine, necesse est, quod includat aliquod accidentis, atque adeo prout sic non

ponitur adæquatè in prædicamento substantiæ.

27
Aliud effu-
gium.

Dices adhuc, ergo saltem sanguis prout includens illam præsentiam accidentalem, erit verè, & rigorosè vnitus carni; quia prout includit illam præsentiam, iam denominatur componens in actu secundo; item prout sic præsens, exigit replicari vbicumque replicetur caro, vt constat in Eucharistia; ergo prout sic præsens est verè, & propriè vnitus rigorosa vnione.

Ocluditur.

Respondetur, nec etiam per illam præsentiam compleri perfectam vnionem; tum, quia, vt supra dixi, vnio rigorosa cōnectit cum aliquo extremo determinato: sanguis autem non habet cōnexionē cum aliqua parte corporis determinata. Tum etiam, quia vnio propria, & rigorosa ita facit vnū ex vtroque extremo, vt perficiat intrinsecè aliquod ex extremis; tendit enim ad complendum intrinsecè id, quod erat intrinsecè incompletum. Sanguis autem, v.g. aut caro non perficitur intrinsecè per vnionem hanc, quia supra entitatem extremorum, addit solam præsentiam, seu vbiocationem vtriūque; illa autem vbiatio si cōsideretur sola, quæ est in sanguine, non connectit sanguinem cum carne, quia diuinitus posset esse sanguis ibi cū ea vbiocatione ablata carne, & tunc non esset vnitus cum carne; debet ergo constari vnio hæc ex vtraque vbiocatione simul carnis, & sanguinis, illud autem, quod addit vbiatio carnis supra vbiocationem sanguinis, nō perficit sanguinem, cum nullo modo afficiat, aut respiciat intrinsecè sanguinem; ergo de primo ad vltimum sanguis non perficitur intrinsecè per hanc vnionem vt vnio est. Quod idem argumentū fieri potest de carne: neutra ergo pars vnitur intrinsecè alteri compati, & per consequens non intercedit vera & rigorosa vnio; hæc enim sēper se tenet intrinsecè ex parte vtriūque extremi, vel saltem ex parte vnus ex illis vt constat inductione in omnibus compositis rigorosis, & perfectis.

28
Instantia.

Virgebis adhuc, non videri sufficientem illam impropiā vnionē, quam ponimus inter carnē, & sanguinem ad hoc, vt replicata carne debeat etiā replicari sanguis propter illā impropiā coniunctionē. Nā si penetraretur vnus homo cū altero, Petrus, v.g. cū Paulo in eodē omnino spatio; tunc sanguis Petri haberet eandem coniunctionē cum venis Pauli, quā habet cum venis Petri; vtriūque enim venis esset localiter præsens, & æquè indistans, & tamē sanguis Petri nō esset sanguis Pauli, nec cōponeret cum carne Pauli naturam Pauli nec etiā caro Pauli replicaretur diuinitus alibi, deberet idē sanguis Petri replicari; ergo aliqua maior vnio, & coniunctio est ponenda inter carnem Petri, & eius sanguinē præter præsentia locale, & indistantiā actualē; hæc enim non videtur sufficere, vt ille dicatur sanguis huius hominis.

29
Remouetur.

Respondēdo, in prædicto casu sanguis Petri præstaret, procul dubio aliquos effectus æquē vtriūque carni, v.g. fouere, calefacere, humectare, &c. qui cū proueniunt à sanguine tanquam à causa efficiētī, non apparet, cur posita debita applicatione non fieret erga vtrumque passum. Alia verò sunt munera sanguinis, quæ videntur magis propria ipsius, quatenus est pars illius compositi, v.g. moueri secundum diuersos animæ affectus, & passiones, nutrire, subuenire cordi, vel aliis partibus indigentibus, &c. & circa hæc officia Deus posset tunc dupliciter se habere. Primò, assignando cuiuslibet corpori suum sanguinem, & concurrente cum illo solo sanguine ad officia circa illud solum

corpus, & non circa alterum. Ad quam assignationem, & determinationem faciendam, videtur præcedere fundamentum aliquod in ipso corpore, & sanguine, quatenus hic sanguis, & non ille productus fuit ab hoc hepate, & nō ab illo, atque idē videtur pertinere magis ad hoc corp⁹, quam ad aliud. Quare supposito priori miraculo penetrationis existimo, quod cōnaturaliter loquendo, hoc modo se gereret Deus: & tunc hic solus sanguis assignatus huic carni diceretur componere cum ipsa naturam humanam Petri, atque adēd hic solus, & non vterque deberet replicari, replicata carne Petri in duplici loco tanquam compars ipsius in ordine ad eādem humanitatem, & hunc solum ferret secum etiam Petrus, si moueret se localiter, & separaret se ab illo spatio, in quo maneret Paulus cum suo sanguine. Quæ designatio fundamentalis, vel actualis, licet addat aliquid supra præsentiam, & vbiocationem; totum tamen illud non est vnio vera, & propria, sed aliquid etiam accidentale, vt constat.

Posset tamen Deus non determinare, nec assignare peculiariter sanguinem diuersum singulis corporibus, sed indifferēter se habere concurrente cum vtroque sanguine ad omnia munera circa singula corpora: in quo licet non procederet ita cōnaturaliter, nec iuxta exigentiam fortasse ipsius sanguinis, vel animæ rationalis; ceterum tūc vterque sanguis esset pars vtriūque hominis; sicut si nunc auferret Deus à Petro duas, vel tres vncias sanguinis, & illum poneret in venis Pauli, procul dubio iam esset pars Pauli, & sanguis ipsius. Similiter ergo in illo casu cū vterque sanguis esset positus in venis singulorum, vterque esset sanguis singulorum, atque adēd replicatis singulis corporibus alibi deberet replicari totus sanguis: si autem Petrus moueret se localiter, vt relinqueret illum locum, tunc Deus deberet determinare, quam partem sanguinis deberet secum mouere, & quam deberet relinquere Paulo; ipse enim Petrus relictus suæ virtutī naturali nō posset ferre secum vtrumque sanguinem; cū enim corpus Pauli haberet etiam virtutem naturalem ad retinendum secum sanguinem, non esset maior ratio, cur Petrus ferret secum sanguinem totum, quam Paulus illum retineret, atque adēd deberet diuidi iuxta efficacitatem vtriūque: designare autem partem ferendam, & partem retinendam, pertineret ad Deum, cū sanguis de se esset indifferens ad vtrumque corpus fouendum.

Vltimò obici potest, quia si sanguis est pars intrinseca naturæ humanæ, ex eo quod aliæ partes non possint absque sanguine conseruari, eadem ratione aer erit pars naturæ humanæ, sine quo etiam non potest vllō modo vita subsistere; cessante enim respiratione, moritur homo; atque adēd aer etiam debuisset assumi hypostatice à Verbo in Christo, quod nemo concedet.

Respondetur esse magnum discrimen, quia aer non est aliquid peculiariter ordinatum ad compositum humanum, sed agens quoddam vniuersale, & indifferens, refrigeratium omnī viuētium, nec subordinatum formæ humanæ in ordine ad operationes humanas; sed hospes aduenticius veniens, & recedens non habens connexionem cum aliis partibus: at verò sanguis est instrumentum domesticum factum ad hunc solum vsum, atque adēd non potens extra humanam domum existere, necessarium ad delineandū membrorum colorem, subordinatum formæ rationali ad

ad omnes functiones, organum earum, & bonum totius familiarum procurans; hinc est, quod posito Christi corpore in Eucharistia, non ponatur per concomitantiam aer, qui est alibi, sed sanguis: hinc est, quod in Scriptura non dicatur filius Dei communicasse carni & aeri, sed carni, & sanguini: nec homo describitur per aerem, sed per carnem, & sanguinem, quæ omnia ostendunt, diuersa ratione sanguinem esse partem humanitatis, quam aerem. Vnde etiam fit, quod Christus resurgens non tulerit secum in cælum aerem ad respirandum, sed sanguinem, quia sine hoc non esset homo integer; sine aëre autem est verus, & integer homo, qui tamen propter incorruptibilitatem, sicut non indiget cibo ad nutritionem, sic nec indiget aëre ad respirationem: quod etiam de aliis corporibus Beatorum verum erit, ad quorum veram resurrectionem exigitur reparatio sanguinis, à quo membra illa beata colorem habebunt, non delatio aëris, quo in cælesti patria non indigent ad ducendam vitam.

SECTIO III.

Statuuntur alie duæ conclusiones.

Ita iam secunda conclusio contra sententiam Caietani, & aliorum: Totus sanguis Christi assumptus fuit hypostaticè à Verbo. Hanc tenent communiter iam Theologi omnes, & Suarez *disp. 1. §. 6. conclus. 1.* dicit, sententiam contrariam neque piam, neque securam esse. Potest autem probari applicando argumenta adducta pro conclusione præcedenti.

Et primo applicari potest testimonium illud Clementis VI. in *extravaganti vniuersali*, ubi dixit, vnam guttam sanguinis effusi pro nobis potuisse sufficere ad redemptionem nostram, propter vniorem ad Verbum. Supponit ergo, totum sanguinem fuisse vnitum Verbo; alioquin enim non quilibet gutta potuisset sufficere, cum magna pars illius sanguinis non fuisset Verbo vnita, atque adeo potuisset Christus effundere non solum guttam, sed magnam sanguinis copiam, cuius valor illo argumento non probaretur.

Secundo ponderari possunt ad hoc ipsum verba Patrum à nobis adducta dicentium, Verbum assumptum carnem, & sanguinem; quæ cum indefinita sint, & in materia doctrinali, debent intelligi vniuersaliter. Nam ex eo quod dicatur, Verbum assumptum carnem humanam, nemo audebit dicere assumptum aliquam carnem partem, non tamen omnem carnem cum ergo eodem modo dicatur assumptum sanguinem, de toto prorsus sanguine accipiendum est. Ad quod etiā confirmandum afferri potest vniuersalis illa loquutio Damasceni ibi adducta: *totum me totum assumpsit, & totum toti vnitus est.*

Tertio probari potest ex verbis Tridentini ibi adductis, docetis, sanguinem esse partem Christi, & ideo debere per concomitantiam poni cum corpore sub speciebus panis. Hinc enim pariter probari videtur, totum sanguinem fuisse partem Christi: nam in cena proculdubio totus sanguis positus fuit sub speciebus vni ex vi verborum; sicut totum corpus ex vi verborum fuit sub speciebus panis; positus enim fuit in calice totus sanguis effundendus, cuius tamen magna pars erat ille sanguis nutrimentalis à Caietano consideratus, tanquam diuersus à sanguine vitali: idè ergo sanguis positus etiam fuit sub speciebus panis per concomitantiam: alioquin non esset idem realiter sub vtrâque specie, quod dici non potest: ergo totus

ille sanguis erat pars Christi, non enim ponitur per concomitantiam, nisi quatenus est pars habens connexionem naturalem cum altera comparte, scilicet corpore quod ponitur ex vi verborum. Si autem ille etiam sanguis est pars Christi, non est dubium, quin debuerit assumi hypostaticè à verbo, quod substantialiter terminauit omnes partes substantiales Christi, ne cogamur ponere intra Christum aliam subsistentiam creatam, qua subsistat aliqua Christi pars præter subsistentiam Verbi.

Quarto probari potest argumento etiam supra facto, quod scilicet Christus sit filius B. Virginis, ad quod requiritur participasse partem aliquam eius naturæ: Christi autem corpus formatum fuit ex Matris sanguine, & quidem in sententia Caietani ex sanguine non vitali, sed nutrimentali, ita enim colligit Caiet. *3. p. q. 54. a. 2. ex S. Thoma infra q. 81. art. 5. ad primum*, dicente, corpus Christi formatum fuisse ex sanguine Matris, qui nondum erat matris pars actu, sed in potetia: quod explicat Caietanus de sanguine nutrimentali, qui non est pars actualis naturæ. Nos autem possumus retorque argumentum. Si enim Christi corpus ex sanguine nutrimentali formatum est, ergo ille sanguis est pars naturæ humanæ, vt Christus dicatur per veram generationem esse à Matre genitus participatio eius naturam, tanquam à principio coniuncto. Quo autem sensu dixerit S. Th. sanguinem illum non fuisse actu partem Virginis, explicauimus *sektionem præcedenti ad secundam obiectionem.*

Quinto arguere possumus contra Caietanum, quia si nõ totus sanguis esset animatus, vel inanimatus, sed pars esset animata, & pars inanimata sequeretur sanguinem aliquem magis similem esse carni, quam sanguini. nõ esset animatus eadè forma, qua caro, atque adeo esset eiusdem materiæ, & formæ cum carne; differret verò ab alio sanguine nõ animato plus quam genere, vt viuens à nõ viuente. Consequens autem videtur absurdum. Vnde sumi, potest vltima ratio ex eo quod absque fundamento ponatur talis diuersitas inter sanguinem, & sanguinem contra experientiam, & contra id, quod Philosophi omnes de sanguine tradiderunt.

Pro sententia illa Caietani solum videtur esse modus loquendi S. Thomæ, qui *quodlibeto 5. q. 3. art. 5. in corpore*, videtur distinguere duplicem sanguinem, alterum, qui non sit de veritate naturæ quem appellat nutrimentalem; & alterum, qui sit de veritate humanæ naturæ; verba S. Thomæ sunt hæc: *In resurrectione tam Christi, quam nostra, totum quod fuit de veritate humane nature reparabitur, non autem illa, que de veritate humane nature non fuerunt: & quævis circa ea que sunt de veritate humane nature, sit diuersa diuersorum opinio, secundum quolibet tamen non totus sanguis nutrimentalis, id est, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem humane nature. Cum ergo Christus concederet, &c., nihil prohibet, in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humane nature nõ pertineret, &c.* Ex quibus verbis videtur colligi illa distinctio duplicis sanguinis à Caiet. excogitata.

Respondetur, S. Thomam non dicere, vnum sanguinem viuere, & alterum nõ viuere, vt dixit Caietanus, sed vnum pertinere, alterum non pertinere ad veritatem naturæ; hoc est vnum requiri omnino, vt aliquis sit verus homo, & hunc debuisse resurgere in Christo resurgente, alterum non requiri ad hoc, vt sit verus, & integer homo, quia superabundans est ex cibo, & potu à prouida natura ad nutritionem, & alimentum corporis asseruatus, quo alimentum,

35
Probat
quarto.

Caietan.

36
Arguitur
quinto contra
Caietanum.

37
S. Thom.

38
Explicatur S.
Thom.